



Disquisitio physiologico medica inauguralis utrum aër cum sanguine per pulmones transeunte misceatur et de pabulo vitae aëreo

<https://hdl.handle.net/1874/291131>

8

DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA
INAUGURALIS
UTRUM AËR CUM SANGUINE
PER PULMONES TRANSEUNTE
MISCEATUR
ET
DE PABULO VITÆ AËREO.

QUAM,
FAVENTE SUPREMO RERUM DOMINO
Ex Auctoritate Rectoris Magnifici,
JOANNIS DAVIDIS HAHN,


Philos. & Med. Doct. Philosophiae, Physices Experimen-
talium & Astronomiae Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque
Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA honoribus &
privilegiis ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examini submittit.*

PETRUS HINLÖPEN, HORNA-WESTFRSIUS.

Ad diem IX. Junii, H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,
EX OFFICINA IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCLV.

PSEUDOTIGO PHYSIOLOGICO MEDICO

VIRIS DOCTISSIMIS,
D. JACOBO HINLÖPEN,

SUPREMÆ MENTIS ORACULIS INTERPRE-
TANDIS IN ECCLESIA, QUÆ CHRISTO TRA-
JECTI AD RHENUM COLLIGITUR, PRÆFEC-
TO ERUDITISSIMO, FIDELISSIMO, ÆSTUMA-
TISSIMO.

NICOLAO HINLÖPEN,
HUMANIORUM LITERARUM AMATORI SUM-
MO.

FRATRIBUS EXOPTATISSIMIS, DEBITO
HONORE ATQUE OMNI FRATERNO AMO-
RE AD ROGUM USQUE PROSEQUENDIS

Hanc inauguralement Disquisitionem
D. D. D.
A U C T O R.

ALIIS DOCTISSIMIS
D. IACOBO HINOPRENI
SUPPLEMENTIS ORACULIS INTEGRIS
TANDEM IN ECCLESIA, QUA CHRISTUS TULIT
EXCELSIS AD RHEMUM COLLEGITUR, DILEXEC
AMITIS, OMNIS MEDISSIMO, ERUDITISSIMO, OT
TATISMO.

NICOLAO HINOPRENI


MUS MULATTI MULAMIN
SM

OTTO
TATIENS EXCELSISSIMIS, DILEX
OMA OMNIS TATIENS
EX ADOREMUSque PROSEGUENDIS

Иероними Сириану мъж

С. С.

лотка



DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA
INAUGURALIS
UTRUM AËR CUM SANGUINE
PER PULMONES TRANSEUNTE
MISCEATUR
ET
DE PABULO VITÆ AËREO.

Inter omnes res, quæ, ad vitam & sanitatem nostram conservandam, utiles atque necessariæ sunt, nulla est, quæ tantam utilitatem habet, quam aër. Unde *Hippocrates* (a) inquit: *Tanta omnibus corporibus spiritus necessitas exstat, ut siquidem omnibus aliis abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum,*

A possit

(a) *Tom. I. p. 402. No. vi. Edit. Lind.*

possit tamen dies duos vel tres & plures ducere. si
cui vero spiritus in corpus viæ intercipiantur, in
brevi parte unius diei intereat. Quod Magni Viri
effatum, licet observationes in submersis, syn-
opticis atque hystericis factæ, in quibus vitam,
per plures dies sine respiratione, superstitem fu-
isse constitit, nonnihil limitandum esse doceant;
certum tamen est, nullum animal perfectum at-
que adultum, diu vitæ præsentis signa posse ex-
hibere, nisi respiratio duret, eaque si restitui non
possit, de vita omnino actum atque conclama-
tum esse. Qua quidem in re uti omnes conve-
niunt, ita valde dissentunt inter se de eo, quod
aër inspiratus animali præstat. Unde ab omni æ-
vo, de usu respirationis primario fere disputa-
tum fuit inter Physiologos. Nonnulli sanguinem
ab inspirato aëre refrigerari. Alii per respirationem
a noxiis fuliginibus liberari. Alii sanguinem, æstu-
antem atque rarefactum ab effervescentia in dex-
tro cordis ventriculo, condensari atque extingui.

Alii

Alii sanguinem in pulmonibus misceri, attenuari atque dividi, sicque aptum, qui per totum reliquum corpus circuletur, reddi. Alii ipsum inspiratum aërem, cùm sanguine per pulmones transeunte misceri. *In* Alii denique (ut plures aliorum sententias omittam) non ipsum aërem, sed aliquid ipso aëre subtilius, spiritum quendam nitro-aëreum, pabulum vitæ aëreum, multisque aliis nominibus designatum, ad sanguinem pervenire voluerunt; quas omnes sententias examinare si animus esset, longe ultra consuetos dissertationis limites evagaremur. Quare in hac dissertatione nobis proposuimus eorum saltem examinare sententias, qui statuunt ope respirationis ipsum aërem elasticum, vel aliquid ab aëre distinctum, spiritum vitæ aëreum, per pulmones ad sanguinem nostrum pervenire. Hæ utpote sententiæ suos hodie adhuc inveniunt patronos, & multa sunt cum experimenta, tum observationes & argumenta, quæ prima fronte eas extra dubitationis aleam ponere

videntur. Ut autem ordine quodam nostra pro-
cedat disquisitio, proponemus atque examinabi-
mus in primo Cap. omnia experimenta, observa-
tiones atque argumenta eorum, qui aërem elasti-
cum in pulmonibus cum sanguine misceri volunt;
in secundo Cap. eorum, qui pabulum vitæ aëreum
per pulmones intra animalium corpora pervenire
volunt. Si autem inter omnia ista argumenta nul-
lum reperiamus, quod vel aëris tansitum, vel pa-
buli vitalis existentiam evincit, concludemus jux-
ta primam Philosophandi Regulam, a Magno
Newtono præscriptam (*causas rerum Naturalium
non plures esse admittendas, quam quæ veræ sunt,
earumque phænomenis explicandis sufficiunt*) nul-
lum aërem aut quomodounque etiam appellatum
vitæ pabulum per pulmones intra corpus no-
strum pervenire.

DISQUISITIO PHYSILOGICO MEDICA

INAUGURALIS.

CAPUT PRIMUM.

*Utrum Aer cum sanguine per pulmones
transeunte misceatur.*

§. I.

Ad experimenta quod attinet, quibus aëris transitum demonstrare conantur ejus patroni, inter ea primo occurrit illud a Cl. Swammerdamio (a) inventum, atque coram *Sylvio* multisque aliis institutum. Aperiebat sc: vivo adhuc cani asperam arteriam, in eamque intrudebat tubulum æneum, cui ventriculi canini exsiccati pylorus, cum intestini tenuis portione erat alligatus, circumjecto vinculo asperam arteriam circa eundem tubulum arcte constringebat. Oesophago ejusdem ventriculi, similem tubulum, per quem aërem inflare posset, annexuerat. His ita dispositis, spectatoribus monstrabat, aërem, lente diuque in pulmones adhuc calentes pressum, ex dicto ventriculo transire tandem in arteriam venamque pulmonalem, hinc & utrumque cordis ventriculum. Putant hoc experimento demonstratum esse, dari liberum aëri transitum ex pulmonibus in sanguinem: dubitari proinde non posse, an aër, in statu vivo, fano, naturali, cum sanguine per pulmones transeunte, misceatur. Verum enimvero, multi iisque magni-

A 3

no-

(a) *Sylvius Disp. Med. vii.*

DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

nominis viri, atque in experimentis capiendis dexterimi, dantur, qui sibi hoc experimentum successisse negant, quos inter immortalis nominis *G. Harvæus*, *Cl. Bohnius*, *Bulfingerus*, & *Halesius*. Quare multi de veritate experimenti Swammerdammiani dubitant. de qua tamen dubitare non possumus, quoniam a Cl. Viro coram *Sylvio*, *Bartholino* plurimisque aliis fuit institutum: præsertim cum alii, se idem experimentum tentasse, eundemque cum *Swammerdamio* eventum habuisse, testentur, inter quos *Cl. Bergerus* (b) atque *Ill. Hallerus* (c). Summo tamen jure dubitari potest, an id experimentum doceat, naturaliter aërem ex pulmonibus in sanguinem venire. Non dicam, *Bulfingerum* (d) ex experimentis a se institutis, conjicere, aërem, a morte in ipsis vasis sanguineis pulmonis stagnantem, exprimi potius, quam ut novus per trachæam inflatus, e vena prodeat. Ea conjectura, nobis non probabilis visa est, nec tali exceptione opus, cum ipse experimenti evenitus doceat, hanc viam non esse naturalem, sed vi factam; *Aer enim transibat in arteriam venamque pulmonalem, hinc & utrumque cordis ventriculum.* Sed aër naturaliter in arteriam pulmonalem, dextrumque cordis ventriculum ingredi non potest, quoniam sanguinis motus ex corde dextro per arteriam pulmonalem, huic aëris ingressui plane est oppositus. & profecto, si illud experimentum accuratius consideremus, dubitare plane non possumus, quin vel arteriarum &

(b) *Physiol. Med.* p. 46.

(c) *Comment. ad Inst. Med. Boerb.* §. cci. Not. i.

(d) *Comm. Acad. Petropol.* Tom. III. p. 237.

INAUGURALIS

7

venarum pulmonalium oscula, quæ in tenuissima interiori pulmonis membrana hiant, ab adhibita vi tantoper dilatata sint, ut aërem nunc possint transmittere: vel ipsa interior tenuissima pulmonis membrana, simul cum vasis per eam decurrentibus disrupta, sicque aëri via facta sit. Non enim aér æquali vi qua respirando attrahitur, in pulmones adigitur, neque statim ubi pulmones aëre distenti fuerint, transit, sed multo majori vi, eaque diu continuata, intropremitur, uti ex Cl. Bartholini *Epistolis* (e) intelligere licet. scribit ille Swammerdamium „ pressū cubiti aërem folle contentum „ in pulmonem canis adigere, iterum novo aëre follem re- „ plere, versatoque verticillo iterum in pulmonem intru- „ dere, idque continuare, donec vasa cordis manifesto „ flatu intumescant, Quanto autem major sit hæc vis eā, qua naturaliter aërem intra pulmones attrahere sole- mus, nemo, qui ad propriam respirationem animum attendit, non videt. Quare etiam Ill. Hallerus, qui in *commentariis ad Inst. med. Boerhavii*, (f) experimen- tum in fele semimortua a se felicissime institutum nar- rat, ideoque transitui aëris per pulmones tum tempori- ris favebat, postea in *primis suis lineis Physiologiæ* (g) fatetur, aërem impulsū asperæ arteriæ non transire in cor, & tunc demum transire, quando nimia vi impel- litur, atque hinc petenda ratio, quare non omnibus æ- que successerit experimentum. Illi, qui experimentis capiendis assueti, naturam in suis actionibus æmulan- tur, atque semper prudenti & suspensa manu id agunt,

ne

(e) *Barth. Cent. iv. Epist. Med.* p. 392.

(f) §. ccx. Not. i. (g) §. cccvi.

8 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

ne partes diffingant, nunquam cum eodem successu illud experimentum instituere potuerunt, quia nullas novas vias, vi adhibita, efformarunt.

§ I I.

Alterum, quo utuntur, experimentum petunt ab injectione (a). Aqua in arteriam pulmonalem injecta transit in venam pulmonalem, in bronchia atque asperam arteriam. si in venam pulmonalem injicitur, transit ex ultimis venæ ramulis, in ramulos arteriæ, & ex ultimis patulis venarum osculis penetrat in bronchia. imo (b) aqua per asperam arteriam in pulmones injecta pervenit in venam & (c) arteriam pulmonalem. Ex his experimentis putant patere dari communicationem inter vasa aërea atque sanguinea, adeoque dari vias, per quas aer ex pulmonibus in sanguinem transfire potest. Has autem vias esse naturales, non vi factas, demonstrat ceracea Ruyshii materies, quæ injecta in pulmones, in quibus prius hæc experimenta instituta fuerant, nullibi extra vasa effunditur, (quod semper, ubi vel minima ruptura adfuerit, fieri solet) vasaque omnia adhuc integra esse ostendit. quales pulmones possidet A. Kaau Boerhave (d). Neque de veritate horum experimentorum dubitamus. ex iis tamen concludi nullo modo potest, aërem elasticum ex pulmonibus in sanguinem transfire. millena experimenta probant,

aquam

(a) *Tristion de Resp.* p. 47. *Bergerus Physiologia* p. 47.

(b) *Bergerus l. c.* p. 46. (c) *Bulfinigerus in Comm. Acad. Petropol.* tom. III. p. 234, 238. (d) *lib. de perspiratione* p. 56, 57.

INAUGURALIS.

aquam per multos poros penetrare, qui elasticum aërem excludunt. Cl. *Musschenbroeckius* (e) per plura experimenta ostendit, sacculos ex Vesica Urinaria, Intestinis, Mesenterio, Omento, Ventriculo, Pericardio, Mediastino, dura meninge factos, aërem continere, neque, nisi a nimia aëris expansione diffingantur, dimittere; aquam vero, oleum, spiritus facile transmittere; imo postquam hos liquores emiserunt, aëre iterum repletos, eum non magis quam antea transmittere. Demonstrant igitur hæc adverfariorum nostrorum experimenta arterias atque venas pulmonales in interna pulmonum membrana, uti in omnibus nostri corporis cavitatibus hiare, atque arterias ibidem rorem & vaporem, qui halitum nostrum constituit, exhalarē, eumque venas bibulas partim iterum absorbere; non vero demonstrant dari vias adeo patulas, per quas aër fatis libere transfire potest.

§ III.

Cl. *Tabor* (a) sequenti ratiocinio atque experimen-
to aëris per pulmones transitum probare voluit. „ Aë-
„ ris extensio semper imminuitur in loco in quo animal
„ hæret. Sed si aër inspiratus non ingredetur in
„ sanguinem animalium, ex necessitate sequeretur, ob
„ copiam humiditatis e corporis universi poris, atque
„ e pulmonibus exspirationis ope indesinenter erumpen-
„ tis, aërem cum animali respirante conclusum, in ex-

B

„ ten-

(e) In *Dissertatione de aëris praesentia in humoribus animalibus* p. 24.
&c seqq. (a) *Exerc. Med. Tract. II. Cap. 2. p. 90, 92.*

10 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

„ tensione sua augeri, imo semper auctum iri, quod
„ autem fieri nunquam contingit ”. Experimentum
certissimum est, atque ab *Ill. Boyleo, Majovio, Halesio,*
aliisque institutum; sed tamen hoc experimentum non pro-
bat id quod vult *Cl. Tabor.* non enim ab imminuta aëris
extensione, ad imminutam ejus copiam illico conclide-
re possumus: aëris extensio magis mutabilis est quam ul-
lius corporis cogniti, pro majori minorive elasticitatis,
vel caloris gradu, pro variis ponderibus quibus premi-
tur, semper majorem minoremve locum occupat. qua-
propter si ex minori aëris volumine, ejus imminutam
copiam dijudicare velimus, circumspicere oportet, an
omnes istæ conditiones, quæ, eadem manente aëris co-
pia, ejus extensionem mutare possunt, eadem sint. in
hoc autem *Cl. Taboris* experimento, immutata exten-
sio ex imminuta elasticitate derivari debere videtur.
Nam uti vapores plurimorum corporum (fumus V. G.
ex candela vel sulphure ardentibus; aliisque corporibus,
quæ recenset *Halesius*, exhalans) elasticitatem aëris
imminuunt, & fere plane destruunt, ita etiam & ex-
halationes ex pulmonibus, totaque corporis superficie
adscendentes, elasticitatem aëris in vasis, sub quibus a-
nimalia ponuntur, imminuere posse videntur. Hoc
quod suadent experimenta a *Cl. Halesio* instituta (*b*).
Ipse, vel canis quem experimento adhibebat, aërem
vesicâ contentum vix per minutum respiraverant,
quin vesica adeo esset flaccida, ut aër contentus respi-
rationi non amplius sufficeret. postea (*c*) machinam
tym-

(*b*) *Groeyende Weegkunde Exp. cxviii. c xiv.* (*c*) *Exp. cxvi.*

tympano non absimilem construebat, aërem, hac machina contentum, saltem per $1\frac{1}{2}$ minutum respirare poterat: instruebat dein hanc machinam 4 mediastinis, ex pannis laneis confectis, per quæ aër exspiratus transcolebatur, ut vapores ex aëre attrahi, atque in mediastinis retineri possent. His mediastinis aceto ebriis, aërem contentum respirare potuit per 3 minuta, ebriis saturatissimo lixivio salis marini, per $3\frac{1}{2}$ minuta. Si mediastina prius imbuta essent lixivio salis marini aut tartari, dein bene exsiccata, per 5 minuta, si vero illud sal tartari fortiter esset calcinatum, adeoque vapores avidissime imbiberet, per $8\frac{1}{2}$ minuta: unde liquet vapores ex animalium pulmonibus exhalantes, elasticitatem aëris imminuerunt; alias enim aër, sive mediastina in machina posita essent, sive non, sive ista mediastina hoc illo sale imbuta essent, per idem temporis spatium respirationi sufficeret: nunc autem mediastina salibus imbuta, vapores ex aëre attrahendo, sicque impediendo, ne elasticitatem aëris destruant, aërem per longius temporis spatium respirationi aptum reddunt, & quidem per eo longius, quo avidius vapores imbibunt, uti ex sale tartari patet: tantum igitur abest, ut aër, ob copiam humiditatis e corporis universi poris, atque e pulmonibus expirationis ope indesinenter erumpentis, in extensione sua deberet augeri, ut potius, quo major talium vaporum copia in aërem adscendat, eo minus spatium debeat occupare. Atque hæc quidem experimenta sunt, quæ, pro demonstrando aëris per pulmones transitu, apud ejus sententiæ patronos invenire potui. Adferuntur insuper nonnulla argumenta, quæ, quamvis in rebus Physicis, non idem, quod experimenta pondus habeant, proposuisse tamen atque examinasse juvabit.

DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA.

§ I V.

Inter ea, primo loco recenseri meretur subtilissimum Magni (*a*) *Bellini* argumentum, ex comparatione ovi cum animalium pulmonibus desumptum. Corpora, inquit, quæ media sunt inter aërem folliculi, obtusum ovi verticem occupantis, & liquidum amnii, sunt ejusdem crassitie cum corporibus, quæ media sunt inter aërem pulmonis, & sanguinem canarium pulmonarium: nam inter aërem ovi & liquidum amnii, intermedia est crassities secundæ tunicæ putaminis tenuissimæ, & crassities membranarum tenuissimarum, constituentium sacculos albuminum, & crassities adhuc tenuioris pelliculæ, constituentis saeculum amnii. Inter aërem pulmonis & sanguinem canarium ejus, similiter intermediæ sunt duæ pelliculæ, quarum altera est, quæ constituit sacculos pulmonum, tenuissima, altera adhuc tenuior, quæ constituit capillares ramulos canarium sanguinis. Rursus crassities media inter aërem ovi, & liquidum amnii, & inter aërem pulmonis & sanguinem ejusdem, sunt crassities rerum ejusdem constitutionis, texturæ atque naturæ, sunt enim utræque membranulæ. Si igitur aëritatur penetrare per utramque hanc crassitiem, utræque æque resistet. adeoque si alteram possit pervadere, poterit & alteram. Addit insuper Cl. *Bellinus*. „ Modus, quo per seriem propositionum, si „ bi ex necessario ordine succedentium, exponimus in „ theoria ovi” (animo Cl. viri concepta nunquam in lu-

a) Opusc. ad Pticarn. Prop. ix. p. 5. &c seqq.

lucem edita) „superius expositam incredibilem fabri-
cam ejus, tot argumenta suppeditat, quocunqne con-
vertas animum, aërem ovi, aut aliquid ab illo sepa-
ratum in cavitatem amnii se agere, & cum ejus li-
quido se miscere, ut non dicam unum, aut alterum,
sed ratiocinia quindecim in eàdem theoria præsto
fint, quorum singulis evincitur hoc ipsum, aërem o-
vi, aut aliquid ab ipso separatum e folliculo in cavi-
tatem amnii duci, & cum illo liquido permisceri: &
his adjicio singula eorum ratiociniorum non esse e
genere probabilitum, verosimilium, opinionum, con-
jecturarum, sed esse ex eorum genere, quæ rem ex
necessitate ducunt in necessitatem, quæ evidentiam,
quæ scientiam pariunt, quæ cogunt intelligentiam ad
assensum, quæ omnem dubitationem tollunt, quæ
veritatem constituunt, quæ denique in usu sunt apud
scientiarum dominos Mathematicos.” Magnifica
profecto verba, quæ nos, nisi sciremus in Philosophia
rationum momentis, non authoritatibus pugnandum es-
se, facile in adsensum traherent; & quamvis Cl. vir,
hæc mathematice demonstrare posse affirmet, ideo iis
non magis fidendum. Ipsæ Mathematicorum demon-
strationes, quando Physicis rebus applicantur, dubio at-
que errore non carent. Deinde illa argumenta quæ Cl.
Bellinus in Opusculis ad Pitcarnium adhibet, neutiquam
Mathematicorum propositionibus æquiparanda sunt,
transitum aëris nullo modo demonstrant; imo ne proba-
bilem quidem reddunt. Nam licet vis ovi liquores fun-
dens, non sit vis foecunditatis, neque calor incubatio-
nis, sed aër folliculi ad obtusum ovi verticem jacentis,
(secundum *Bellinum*) ideo tamen aër amnii sacculum

14 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

non penetrat, & ejus liquori se miscet. Oportebat Cl. *Bellinum* demonstrare, aërem ovi liquores solvere non posse nisi iis admisceatur, dein concludere ex fusione liquorum ovum implentium, aëris particulas cum iisdem intime misceri. Canales aëris lucidi intra duas membranas sub putamine ovi occurrentes, apertis osculis ad verticem ovi obtusum hiantes, demonstrant quidem aëris in ovo præsentiam, non autem aëris cum liquore amnii permissionem evincunt (*b*). Præterea, etiamsi evincere posset, aërem cum liquore amnii permisceri, non tamen ideo sequeretur, aërem per pulmones ad sanguinem transfire. Analogia inter ovum & pulmonem non tanta est, quantam illam vult Cl. Auctor: sanguis aliunde, uti in sequenti §. patebit, aërem haurire potest, liquor amnii tantum per canales aëris lucidos. Deinde non procedit conclusio a transitu aëris per membranas ovi, ad ejus transitum per internam pulmonum membranam; nam aër non transit per poros membranarum ovi a teneritudine relictos, sed per vasa nudo oculo facile conspicua, & ne collabantur lapideum orificium habentia. (*c*) Quis talia in pulmone demonstravit?

§ V.

Argumentantur etiam nonnulli ex aëre post mortem animalium sæpe magna copia in corde atque vasis sanguineis reperto (*a*). Sed rogatos volo hos viros, unde sciant

(*b*) Michelotti de separ. fluid. in corpore animali p. 153. seqq.

(*c*) Mussch. l. c. p. 25. (*a*) Swammerdam de Resp. pag. 98. Ruysh Ep. Probl. XVI. p. 2. Haller. Comm. ad Inst. Med. Boerh. §. cxi Not. i.

fciant istum aërem per pulmones intrasse? an etiam istas vias post mortem animalium in pulmonibus observarint? nisi enim probare possint istum aërem sibi viam per pulmones fecisse, illud argumentum nihil omnino probat, quia aliunde vasa sanguinea ingredi potuit. Omnibus esculentis atque potulentis, quæ adsumimus, satis magnam aëris quantitatem immixtam esse, per experimenta a Nob. Boyleo, Cl. Halesio, aliisque instituta, certissimum est. Chylum ex iis confectum, aërem in se continere, & quidem majorem, quam liquida nostri corporis, quantitatem, observationes atque experimenta docuerunt. Cl. Bellinus (*b*) observavit in lympha ductus thoracici majorem bullarum aërearum copiam oriri, quam in sero sanguinis, si igni imponantur. Cl. Senac (*c*) ex experimentis cum antlia pneumatica institutis testatur, majorem aëris copiam in chylo esse quam in sanguine, & aëris chylo admixti elasticitatem subito restitui. Pars ductus thoracici resecta, atque in utroque extremo ligata, quam primum aër externus tollitur, turget aquæ tepidæ injecta statim expanditur: quod juxta Cl. Viri observationes in vasis sanguineis tam cito fieri non confuevit. Quoniam igitur tanta copia aëris simul cum chylo ad sanguinem perveniat, illeque aër tam facile pristinam elasticitatem recuperet, nonne probabile, aërem in corde majoribusque vasibus post mortem repertum, oriri a nimia copia aëris, quæ simul cum chylo ad sanguinem pervenit, & in corde vel hic illicve in vasibus sanguineis, se extricat, vasa expandit, obstruit, atque mortem producit?

(*b*) *I. c. Prop. VIII. p. 44.* (*c*) *Traité du cœur Tom. II. p. 121,*
122.

16 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

ducit? nimiam aëris copiam cum chylo nonnunquam intrare, suadere videtur *Tb. Schwencke* (*d*) observatio, qui omnes ramos venarum mesentericarum, maximos æque ac minimos, aëre plenos invenit. Per has autem venas etiam chylum intrare, inter hodiernos Physiologos constat. Non tamen opus est, neque etiam credibile, aërem, quem Anatomici in vasis detexerunt, semper ortum fuisse a nimia aëris cum chylo ingressi copia. Putredo, vivo vel mortuo homine, orta, aërem prius cum sanguine commixtum, omni elasticitate privatum, potuit separare, eique elasticitatem restituere: hanc enim vim putredinem habere ubique per totum regnum animale & vegetabile appareat. Forsan prægressa encheiresis Anatomica aërem externum in vacua vasa intrare sivit. Præterea, etiamsi certissimum esset (qua de re tamen dubito) dari casus in quibus nullo ex his tribus modo, aer ingressus esset; licet etiam probari posset, aërem post mortem inventum, ingressum fuisse per pulmonem, nondum tamen sequeretur, in statu vivo, sano, naturali, aërem elasticum per pulmones transire in sanguinem. ad §. I. vidimus, pulmonem vi nimia tantopere posse distendi, ut oscula vasorum in cellulas pulmonum hiantia, aërem recipient, vel interiorem pulmonis membranam simul cum vasis per eam decurrentibus posse disrupti, atque hac ratione, aëri viam præternaturalem in vasa sanguinea appetiri.

§. VI.

(d) *Hematologia* pag. 85.

§ VI.

Argumentantur (^a) etiam ex communicatione veneni pestilentialis, aliorumque morborum epidemicorum, qui per magnam saepe terrarum orbis partem gravantur, cujusvis generis homines promiscue adgreduntur, pessimasque strages edunt. Necessum est horum morborum, dum nulli hominum ordini parcunt, materiam haerere in re quadam, qua omnes homines promiscue utuntur. Quia autem nulla res est, cuius usus omnibus hominibus aequae communis, quam aeris, admodum probabile, in aere venenum illorum morborum haerere; aerem autem respiramus, putant igitur illud venenum imprimis respirationis ope intra corpus nostrum pervenire, & si illud venenum per pulmones potest transire, quidni & aer? non dicam, multos auctores ea in sententia versari, illud miasma non per respirationem, sed potius per deglutitionem propagari, quia in omnibus fere morbis epidemicis observantur, nauseæ, vomitus, cardialgiæ, laesi scilicet ventriculi indicia. Eorum hypothesis nobis nunquam placuit; si enim ex laeso ventriculo concluderemus, morbi materiem in eo haerere, omnium fere morborum materies in ventriculo haereret, quoniam nullus fere morbus datur, in quo non magis vel minus affectus ventriculus, quod quam falsum sit, nemo non videt. Unde potius cum aliis, has ventriculi laesiones, derivarem a miro illo consensu, qui inter ventriculum

C

atque

(^a) *Thruston l. c. p. 48. Tabor Tract. I. c. 2. p. 88.*

18 DISQUISITIO PHYSILOGICO MEDICA

atque totum corpus nostrum observatur, (b) &, siquidem aliquid veneni pestilentialis cum saliva deglutiatur, credibile tamen est, etiam illud venenum per respirationem intra corpus nostrum pervenire. Sed an inde sequitur, elasticum aërem per pulmones transfire? nihil minus. saltem sequitur, (id quod antea patuit) dari communicationem inter vasa aërea & sanguinea: non vero eam communicationem adeo liberam esse, ut elasticus aër per eam libere in & egredi valeat: venenum enim pestilentiale, quantum ex pestis historia intelligere licet, adeo subtile est, ut subtilius corpus vix ac ne vix quidem detur: illud igitur transfire per poros qui elasticum aërem excludunt, non mirum. eodem redeunt argumenta, ex noxiis vaporibus, (c) qui morte immatura afficiunt eos, qui operas metallicas exercent, imprimis eos, qui plumbum aut mercurium ex mineris excoquunt, vel ex odore violaceo, (d) quem spirat urina hominum, qui aliquamdiu in loco, in quo per pavimentum oleum Therebinthinæ expansum est, hæserunt. nam vapores ex mercurio aut plumbo adscendentes, per plurima corpora transeunt, ipsa metalla dissolvunt, in quæ, ne aquæ quidem (quæ per longè plura corpora quam aër transit) ingressus datur. oleum etiam Therebinthinæ omnes corporis animalis partes promiscue penetrat.

S. VII.

(b) A Kaau Boerhave impetrans faciens p. 279. seqq.

(c) Tabor l. c. p. 89. (d) Memoir. de l'Acad. Royal. des Scien. 1707. p. 213.

§ VII.

Supereft denique Magni *J. A. Borelli* (a) argumen-
 tum, qui, ex experimentis in vacuo Torricelliano insti-
 tutis, intelligens, aquæ magnam aëris copiam inhære-
 re, atque videns, aquam conquassatam ab aëre admisto
 spumosam reddi, ex iis observationibus sequenti modo
 fuit ratiocinatus. „ In anfractibus & vesiculis pulmonum
 „ semper adest aliquis *succus aqueus & serofus*, ibi-
 „ dem instillatus, ut lubrici & flexibiles reddantur, at-
 „ que talis *aquea serofitas* conquassata a vento *aëris* in-
 „ spirati in spumas procul dubio facesset, & hinc *aqua*
 „ illa imprægnatur a particulis *aëris*. Cumque eadem
 „ aqua per poros venarum facile exfudare & penetra-
 „ re valeat, fieri non potest, quin secum deferat ei in-
 „ clusas aëris particulas, easque sanguini immisceat.
 „ — nam licet *aér* solitarius per poros corii aut venæ
 „ pertransire non possit, bene commeabit cum aquâ
 „ commixtus, subdivisus nempe in minimas particulas.
 Verum enim vero, neque *Borellus*, neque alii demon-
 strarunt, in statu vivo, sano tantam copiam succi aquei
 serosi in pulmonibus dari. *A. Kaan Boerhave*, (b) in re-
 centi canino pulmone, subtili sectione organa pneuma-
 tica ad ultima usque prosecutus, invenit ea (uti omnes
 internas partes corporis animalis) tantum madida &
 submucosa: nullius etiam foret necessitatis tanta liquoris
 copia in pulmonibus; nam a muco internam pulmonum

C 2 fu-

(a) *De motu animi: parte secunda Prop. cxiii.*(b) *Libro de perspiratione p. 54.*

20 DISQUISITIO PHYSILOGICO MEDICA

superficiem illiniente, atque a vapore assiduo exhalante, lubricæ & flexibiles satis hæc partes servantur. deinde etiamsi concederemus, dari tantam copiam aqueæ serositatis in pulmonibus; eo tamen, quo vult *Borellus*, modo, aëris elasticus transfire non potest, non enim omnis aëris qui cum aqua mixtus fuit, sed tantum determinata aëris quantitas, quæ in aqua solvit, omnemque suam elasticitatem amittit, cum aqua per corpora transit, reliquus aëris, qui sub forma bullularum in fluidis hæret, excluditur. Atque hæc sunt argumenta & experimenta, quæ apud hujus sententiæ patronos invenire potui. addamus insuper nonnulla de utilitatibus, quas huic aëri adscripserunt.

§. V I I I.

Non lubet refutare eos, qui statuunt elasticum aërem necessarium esse ad flammulam vitalem alendam, aut ad sanguinem, ab effervescentia in dextro cordis ventriculo rarefactum condensandum atque ventilandum: quoniam hodie satis certi sumus nullam in corde animalium dari aut dari posse flammulam, nullasque etiam in corde fieri effervescentias. (4) Alii sunt, qui majori veritatis specie, elasticum aërem sanguini nostro necessarium esse volunt, ad fluiditatem ejus conservandam. Sanguinem dicunt esse fluidum heterogeneum, quod ex diversi generis particulis constat, glutinosa in eo abundat materies, quæ vix aliis præterquam interjectis aëriis machinulis, utpote quæ humoribus permisæ

(4) *Thruston l. c. p. 14. Bergerus l. c. p. 42.*

stæ, nunquam quiescunt, sed comprimuntur facile, iterumque resiliunt, ab arctiori vinculo magis solvi, atque in vitalem circulum cogi & compelli potest. Hoc autem argumentum, utcunque prima fronte probabile videatur, ab experientia, uti sæpiissime ratiocinia in rebus Physicis solent, refellitur. Tantum enim abest, ut aër elasticus fluiditatem sanguinis conservet, ut potius coagulationem sanguinis promoveat. Aër per tubulum in vasa sanguinea vivi animalis inflatus, sanguinem coagulat, uti *Bohnius* (*b*) & alii experti fuerunt. Sanguis venâ eductus, libero aëri expositus, etiam si perpetim conquassetur, atque cum aëre misceatur, coagulatur: stagnans vero post mortem in venis mistus & fluidus reperitur (*c*); partes sanguinem constituentes, ejus etiam sunt naturæ, ut, si modo mistæ conserventur, nullus coaguli metus sit. Serum, quod sanguini nostro inest, in corpore nostro nunquam coagulatur, semper fluidus persistit. Vapor subtilissimus, qui ex sanguine venâ educto, assiduo exhalat, potentissimum est dissolvens: hæ partes vi cordis & arteriarum miscentur cum sanguinis portione rubra, inter ejus particulas se interponunt, immediatum earum contactum impediunt, & sic cohæsionem arcent. Quantum mixtio partium, sanguinem constituentium, ad coagulationem sanguinis præcavendam faciat, docet experimentum a Cl. *Senac* (*d*) institutum. Sanguinem calidum infundebat in phialam, collo arctissimo instram, agitabat sanguinem phialâ contentum, donec fri-

C 3.

gidus

(*b*) *Bohnius circul: Anatom: Physiol.* p. 68. (*c*) *Schwenke l. c.*
p. 91. (*d*) *l. c. Tom. 2. p. 134.*

22 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

gidus esset. Sanguis ita conquassatus, atque mistus, etiam tum quando frigidus esset, fluidus persistebat. Huic mixtioni in corpore nostro insuper accedit calor, qui ab assiduo sanguinis per vasa minima motu producitur; quantum autem calor ad fluiditatem in glutinofisis corporibus promovendam faciat, in cera, adipe, aliisque glutinofisis corporibus videmus.

§. I X.

Alii aërem elasticum in sanguine nostro absolute requiri volunt, ad resistendum pressioni aëris externi. nisi enim aër internus huic pressioni se opponeret, athmosphæra quæ in corpus humanum premit, pondere 20000 st. majori, vasa omnia comprimeret, motumque sanguinis impediret. procederet ista argumentatio, si vasa nostri corporis vacua essent, nunc autem, cum semper humoribus plena sunt, ab ista aëris incumbentis pressione nullum periculum metuendum videtur. Nam humores vasis contenti illi pressioni se opponunt, collapsuque vasorum resistunt: aqua, vinum, oleum, aliquique liquores per canales coriaceos libere moveri sæpe vides, ubi idem a pressione aëris externi periculum. Deinde, si aër elasticus, ad corpus nostrum a pressione aëris externi defendendum, in sanguine nostro necessarius esset, an ideo per pulmones ingredetur? alias vias, per quas aër ad humores animalium pervenit, dari ostendimus. An aër per eas ingressus, omnem suam elasticitatem perdat, mihi nondum liquet.

§. X.

§. X.

Borellus (a) aërem elasticum per pulmones ingressum, eandem utilitatem habere voluit, quam habet pendulum in horologio. Nam uti pendulum oscillatorium itus reditusque æquitemporaneos efficiendo, motus omnium rotarum dirigit, ordinat, contemperat, atque impedit, ne pondus appensum rotas omnes uno momento convertendo, cursum horologii compleat, ita etiam aëris elasticus, actione partium solidarum compressus, resiliens, partesque iterum distendens, impedit, ne spiritus vitalis, ob mobilissimam ejus naturam, furibundo & fanatico motu organa animalis impellat. Deinde sua contra principium vitale reactione, justas oscillationes, sine quibus vita persistere nequit, producit. Verum, uti sæpiissime ratiocinia Mechanica, quando corpori animato applicantur, multorum errorum causæ atque somites existunt, quia motus ex principio vitali oriundi, leges a legibus motus universalibus diversissimas sequuntur, ita etiam hoc ratiocinium manifesto falso est. Motus, in corde ex animali exseclo, omni sanguine vacuo, superstites, hanc utilitatem precario excogitatam esse docent; tale enim cor per longum satis temporis spatium alternis contrahitur, alternis dilatatur, absque eo, ut aëris illud iterum distendat, & postquam quievit, cultro, acu aliave ratione irritatum, suas oscillationes iterum peragit.

Sic itaque proposuimus, atque examinavimus omnia
ex

(a) *De motu animalium* part. II. Prop. cxvi.

24 DISQUISITIO PHYSILOGICO MEDICA

experimenta & primaria argumenta, quæ apud hujus sententiæ patronos invenire licuit: addidimus utilitates, in quarum gratiam hanc hypothesin excogitarunt, atque acriter propugnarunt. Constitit (ni fallor) ex hoc examine, aëris transitum per pulmones nondum demonstratum esse: neque utilitates huic aëri adscriptas tanti esse faciendas, ut hanc hypothesin admittere necesse sit. Si insuper attendamus ad experimenta, quæ ex Cl. *Mus-schenbroekio* §. 11. memoravimus, demonstrantia, aërem per membranas nostri corporis transmitti non posse, atque etiam transitum aëris per ligna aliaque corpora, per quæ liberrime penetrare solet, impediri, simulac oleo, albumine ovi, aquâ aliisve liquoribus obducuntur, videtur summo jure concludi posse & debere, aërem per internam pulmonum membranam, cujus superficies muco semper oblinita, ad sanguinem pervenire non posse. Sed hæc de prima nostræ disquisitionis parte sufficient.

CAPUT SECUNDUM.

De Pabulo Vitæ aëreo.

§. I.

Eorum examinanda supereſt ſententia, qui non ipsum aërem, ſed aliquid aëre multo ſubtilius, inter respirandum pulmones pertransire crediderunt. quid autem illud fit, ea de re diſſentiantur inter ſe auctores. Cl. *Majovius*, & qui eum

sequuntur, illud spiritum nitro-aëreum esse dixerunt. Multi illud hactenus incognitum esse statuunt, illudque ex effectibus vitæ nostræ (uti putant) summe necessariis, spiritum vivificantem, vitæ pabulum, τὸ θεῖον multisque aliis nominibus appellarunt.

Observaverat Cl. *Majovius*, nitrum imprimis componi ex duobus principiis, sale acido atque alcali, nitrum generari in terra, eamque terram prius nitro suo orbatam, dein aëri expositam rursus nitro imprægnari, nihil vero nitri in ea generari, si omnis aëris accessus sollicite ab ea terra arceatur. unde concludit partem quandam nitri ex aëre generari: hæc autem pars non est alcalina, quippe quæ fixa est. deinde pars alcalina, quæ post destillationem spiritus nitri in retorta relinquitur, aëri exposita, novo iterum nitri spiritu ditatur, pars igitur acida nitri ex aëre provenit. Illa autem acida pars juxta *Majovium* non est spiritus nitri, qualis ex nitro destillatur, nam ille spiritus nimis ponderosus fixusque est, quam qui totus tenuissimum aërem circumvolitaret. Præterea sal nitro aëreum ignibus accessis in pabulum cedit, & insuper in animalium sanguinem respirationis ope transit. Spiritus autem nitri acidus, humidus, summeque corrosivus, flammæ animaliumque vitæ potius extinguendis, quam sustinendis idoneus est. Quo autem pars illa nitri aërea melius intelligatur, proponit I. aliquid aëreum adflammam conflandam necessarium esse, nam candela in spatio ab aëre vacuo extinguitur, non quia a propriis fuliginiibus suffocatur, cum in vacuo vase plus spatii sit pro re-

D

ci-

(a) *Opera omnia* pag. 2. seqq.

26 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

cipiendis vaporibus, quam in aëre pleno. II. Materia quævis sulphurea in recipiente, ex quo aër exhaustus est, nullo modo accendi potest. At illud pabulum igneo-aereum non est ipse aër, sed tantum pars ejus magis activa subtilisque. quippe lucerna vitro inclusa exspirat, cum tamen copia aëris satis ampla in eodem continetur. Istæ autem particulæ aëris igneæ, ad flamمام quamcunque sustinendam necessariæ, in nitro hospitantur. Nam nitrum sulphuri admixtum, in vitro aëre vacuo, item subter aquas, sati prompte deflagrat, uti ex experimentis cum pulvere pyrio institutis probat. quapropter cum nitri pars aqua ab aëre oriatur, & particulæ aëris igneæ in nitro existant, statuendum ipsi esse videtur, eam partem nitri, quæ ex aëre provenit, nihil aliud quam particulas ejus igneo-aereas esse. Porro ejusdem generis particulæ, quæ flamمام alunt, ad vitam animalium requiruntur, nam animal simul cum lucerna, aut spiritu vini accessis, vasi inclusum, brevi post extinctionem flamمام moritur. quia igitur pars quædem nitri ex aere oritur, illaque pars flamمام alit, & eadem illa pars, quæ flamمام alit, etiam ad conservandam vitam animalium necessaria est, pars nitri aërea eadem est cum aliorum pabulo vitæ aëreo. En hypothesis subtiliter excogita ta, acriter defensa, & a multis adoptata. Ut autem nostrum super hac hypothesi judicium addamus, lubentes Cl. Majovio concedimus, nitrum constare parte alcalina & acida. concedimus etiam aliquid in aëre hærere, quod si ad terram pinguem, nitri generationi aptam, vel ad basin nitri alcalinam cum φλογίσῃ quodam mixtam accedit, nitrum producit. verum id non tantum in nitro, sed aliis etiam in salibus observatur. Colcothar

vitrioli aëri satis diu expositum, iterum in destillatione novum oleum vitrioli fundit. caput mortuum post destillationem spiritus salis marini residuum, ex aëre iterum novum spiritum haurit. Salia alcalina fixa libero aëri commissa, in tarcarum vitriolatum abeunt, uti hodie omnes Chemici norunt. neque improbabilis est eorum hypothesis, qui putant, acidum aliquod catholicum per atmosphærā dispersum hærere, quod pro varia matrice, a qua excipitur, variam acidi formam assumit: adeo ut illud acidum, a colcothare vitrioli, marcasitis quibusdam, aut capite mortuo aluminis exceptum, oleum vitrioli constituat, junctum cum basi salis marini, mutetur in spiritum ejus salis: cum terra vero nitrata, aut residuo nitri, addita meterie quadam inflammabili, spiritum nitri producat. Quæ si vera sunt, uti videntur verissima, non majori jure illud acidum catholicum, dum aëri inhæret, spiritus nitro-aëreus, quam spiritus vitriolo-aëreus, aut alijs salis nominatur. Sed insuper, nullo modo probant argumenta a Cl. Majovio allata, aliquid ab aëre distinctum necessarium esse ad vitam animalium aut flammarum alendam. extinctio candclæ in spatio ab aëre vacuo, aut etiam in recipiente aëre pleno, atque impossibilitas accendendi materiam sulphuream in vacuo, nihil probant, nisi requiri aërem, eumque satis elasticum, ut flamma ardere perget. Deinde etiamsi probarent, subtile quoddam in aëre hærens principium requiri, non tamen probant, illud principium esse spiritum nitro-aëreum. Nam quod nitrum sulphuri admixtum, in spatio ab aëre vacuo, item subter aquas satis prompte deflagret, non spiritui nitro-aëreo, sed ipsi aéri, qui maxima copia in nitro hæret, adscribendum.

28 DISQUISITIO PHYSILOGICO MEDICA

dum. Secundum experimenta Cl. *Halesii* (*b*) tanta aëris copia in nitro continetur, ut is sibi relictus, molem centies & octogesies ipso nitro majorem occupet. hic ab admoto igne ex nitro magna vi solvit, sicque ventiendoflammam sustentat. Præterea, experimenta illa capta fuerunt cum pulvere pyrio, qui, uti notum, constat ex nitro, sulphure & carbone. Spiritus autem nitri (*c*) cum plurimis oleis vehementissimam effervescentiam concipit, quæ in multis flammam excitat. unde videtur, spiritum nitri ab admoto igne solvi, cum φλωγίστῳ sulphuris & carbonum effervescere, inde flammam concipere, eamque, ab aëre, ex nitro vi caloris erumpente, ali.

§ I I.

Refutata hæc *Majovii* sententia, examinemus argumenta eorum, qui non determinantes, quid aut quale illud pabulum sit, ex multis phænomenis saltem concludunt, aliquod nondum cognitum principium adesse. Fatendum profecto est, nonnulla phænomena posse adferri, quæ leviter examinata, incogniti alicujus principii existentiam vero simillimam reddunt: accuratius tamen ad examen revocata, nobis tanti facienda non videntur, ut incognitum aliquod principium, ad ea explicanda, admittere necesse sit. Inter ea phænomena occurrit primo, mors animalium in vacuo. per plurima experimenta constitit, multa animalia in vacuo sive

Tor-

(*b*) *Groeyende Weegkunde Exp. LXXII.* (*c*) *Müsschenbroeckius in additam: ad tent. Florent. part. II. pag. 165.*

Torricelliano, sive Boyleano inclusa, ocyus tardius extinguui. dicunt, hoc phænomenon ex impedita sanguinis per pulmones circulatione explicari non posse, quia imperfectiora etiam animalia, quorum cor, unico saltem instructum ventriculo, quorum pulmones, arterias venasque ex aorta atque vena cava accipiunt; quorum igitur omnis sanguis per pulmones non transit, æque ac perfectiora in vacuo moriuntur. Tale autem ratiocinum. solummodo probat, præter impeditam sanguinis per pulmones circulationem, aliam insuper mortis in vacuo causam dari. in perfectioribus tamen animalibus, a collapsu pulmonum, sanguinis per eos circulationem impediri, negari posse non videtur. Foetus dum in utero materno mediis aquis innat, pulmones collapsos, aqua specifice graviores habet, parvam modo sanguinis copiam per arterias venasque pulmonales transmittit, non alio (ut videtur) usui, quam ut collapsus & concretio horum vasorum impediatur. maxima sanguinis pars, quæ ad cor dextrum appellit, per particulares in foetu vias, per foramen scilicet ovale, in septo, quod inter sinum venosum dextrum & sinistrum intercedit, obvium, & per canalem arteriosum, qui communicacionem facit inter arteriam pulmonalem & aortam, transit. Quod providum benignissimi nostri corporis Conditoris institutum, nullius plane usus esset, si sanguis per collapsos æque ac per expansos pulmones circulari posset. Idem docent exempla hominum, qui asthmate convulsivo, laborant, in quibus fibræ mesochondriacæ, spasmo contractæ, pulmonis liberam explicationem impediunt; quanta illi vi omnes vires thoracem dilatantes intendunt, ut pulmo a vi aëris irruentis dilatetur:

D 3

Quam

30 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

Quām enormes anxietates patiuntur, quas ab impedito sanguinis per pulmones trajectu oriri, rubor atque tumor faciei & oculorum turgentesque venae jugulares docent. Simile quid in nobis met ipsi quotidie experimur, quando efflato quantum possumus aere, animam nostram cohibemus. testantur etiam Anatomici, materiem ceraceam nunquam satis felicitcr in vasa pulmonalia injici, nisi alterna pulmonum inflatione, respirationem imitentur. Ratio, solidis atque firmis principiis innixa, idem demonstrat. nam minimi ramuli arteriæ venæque pulmonalis, per parietes vesicularum cellularumque pulmonalium decurrent, harum parietes, quando pulmones collabuntur, ad invicem applicantur; unde premuntur vascula per parietes decurrentia: accedit dein, quod pulmo collapsus longe minor sit explicato; hinc vasa & vascula per eos decurrentia, breviora reduntur, plicantur, atque aliquomodo obturantur. ex his igitur causis tanta resistentia cordi nascitur, ut ei superandæ vires cordis dextri non sufficiant: hinc magna sanguinis quantitas in arteria pulmonali atque syste- mate venæ cavæ coacervatur, nullam vel saltem ex quam sanguinis copiam sinister cordis ventriculus accipit, hinc cito de circulatione actum est, quæ, licet pro ipsa vita non sit habenda, sed potius pro generali vitæ effectu, tantæ tamen est necessitatis, ut animal nulos ordinatos motus, cessante circulatione, edere possit, & inordinati etiam cito subsistant. Præter hanc mortis in vacuo causam, altera accedit, quæ & in perfectiora & in imperfectiora animalia agit: Imminuta scilicet pressio aëris externi, hac enim imminutâ, aër, qui in animalium humoribus atque solidis partibus hæret, sese ex iis

ex-

tricat, & quaquavorum expandit, unde vasa obstruuntur, comprimuntur & circulatio sanguinis impeditur. neque hanc causam precario adsumtam esse, docent tumor atque expansio animalium in vacuo, qui, simulac aër iterum admittitur, cessant. atque ex his causis intelligimus, quare omnia animalia in vacuo non æque cito intereant. citius animalia perfectiora in vacuo occidi debent imperfectioribus, quoniam in iis binæ causæ recensitæ simul concurrunt ad abolendam circulationem. Cæterum imprimis different tum perfectiora, tum imperfectiora animalia inter se, pro majori minorive aëris copia, quæ in eorum humoribus & solidis partibus latet. secundo pro majori minorive nexu, quem cum eorum fluidis atque firmis habet. uti enim in omnibus corporibus, non eadem aëris copia adest, neque ex omnibus ope antliæ pneumaticæ æque facile educitur, ita etiam aëris copia & nexus in diversorum animalium corporibus valde differre potest, hinc, cæteris paribus, ea animalia, quæ vel parvam aëris copiam continent, vel adeo mistam atque subiectam, ut difficulter separetur, diutius in vacuo vivent quam ea, quæ & magnam & facile separabilem aëris copiam possident. secundo loco intelligitur, quare animalia, quæ aliquamdiu in vacuo, mortuorum instar, omni motu sensuque destituta jacuerunt, aëre readmisso, sensim sensimque reviviscant. hoc non oriatur ex novo, quod iis suppeditatur vitæ pabulo, sed ex restituta pressione atmosphæræ, qua restituta, aër separatus iterum absorbetur, atque viæ pro sanguinis circulatione iterum expediuntur. Sed & intelligitur, id, quod totum argumentum, ex morte animalium in va-

cuo

32 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

cuo, desumtum destruit, quare nonnulla animalia in vacuo liberrime vivere possint. Ita Boyleus (*a*) experimentum cepit cum hirudine, quæ sub aqua in loco aëre vacuo per quinque dies & ultra vivebat. Philosophi Florentini (*b*) experti sunt, hirudinem & limacem, in vacuo per horæ spatium vivere, valere & tam libere se movere, ac si in aëre aperto fuissent. Magnus Musschenbroekius (*c*) observavit, parva illa rubra infecta, quæ liliorum alborum foliis vescuntur, simul cum foliis lili, ne pabulum deesset, in vacuo inclusa, per tres integros dies hilariter vixisse; repebant supra folia sursum deorsum pro lubitu, bene comedebant, imo lasciviebant nonnulla; tribus elapsis diebus, æque hilaria fuerunt, nullum eorum fuit mortuum, lascivia potius increvit, ut ostenderunt frequenti coitu. Reddidit postea iis aërem, eumque fumo accensi sulphuris inquinavit, quo facto, intra tria minuta omnia mortua sunt. Nec tantum inter imperfectoria animalia sunt, quæ in vacuo vivere possunt, sed & inter perfectiora, modo juniora, in quibus foramen ovale & canalis arteriosus nondum clausa. Idem auctor (*d*) cum felibus junioribus quinque vel sex dierum, in vacuo pericula faciens, eas vidit tumere, convelli, vomere, angi, non tamen suffocari; nec nisi ob alias causas, sitim, famem &c. peribant; dum tamen feles adultiores æque cito quam alia animalia intereunt. Imperfectoria ista animalia in vacuo videntur vitam continuare, quia eorum humores, parva aëris copia imprægnati,

(*a*) *Exp. pneum. de respir.* Tit. xvi. *Exp. 12.* (*b*) *Tentam. Florent.* pag. 99. (*c*) *Tentam. Flor. in notis,* p. 103. (*c*) *L.x.* pag. 114.

ti, eaque difficulter ex iis separabili. Feles autem, quia foramen ovale atque canalem arteriosum adhuc aperta habent, ut sanguinem in iis per pulmones fluere necesse non sit. dein etiam quia numerus vasorum in animalibus junioribus major est, quam in adultis, eaque etiam laxiora. Unde fit, ut si multa vasa a rarefacto aere obstruantur, tamen plurima supersint, per quae circulatio adhuc peragi possit. Sed & denique clare perspicitur, quare partes nonnullorum animalium (e) V. G. apum, culicum aliorumqne, quae in aere aperto adeo vivacia sunt, ut capite truncata currant atque avolent, in quorum pedibus aliquique partibus avulsis motus diu superesse consueverunt, vacuo inclusae, statim omni omnino motu priventur. Non opus est, ut hic configiamus ad occultum vitae pabulum, quod facultatem movendi iis partibus largitur, quodque simul cum aere tollitur. supponamus tantum id, quod innumera experimenta docent, in omnibus corporibus dari aerem, dabitur igitur & aer in horum animalium partibus; hic aer, sublato externo, se expandet, partesque distendet. quamprimum autem vis aeris eas partes distendens, in aequilibrio, aut major est, vi irritabilitatis superstitis, qua partes se contrahere & movere solent, eae partes debebunt semper aequa extensa manere, id est quiescere.

§. III.

Majus momentum habent experimenta, quae Philo-
E so-

(e) Boyleus nov. experim. Phys. pag. 147. J. A. Borellus de motu animalium part II. pag. 124. Prop. CXII.

34 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

sophi cum animalibus in vasis aëre plenis instituerunt. Includunt sc. animal vasi aëre pleno, omne cum extero aëre commercium follicite arcent. Animalia (saltēm perfectiora) in tali aëre non renovato hærentia, cito languent, anhelant, convelluntur, & nisi tum subito aër renovetur, certo certius moriuntur. Cæteris autem paribus citius moriuntur, si aër, iis vasis inclusus, rarioer fuerit aëre externo, tardius, si fuerit densior. Experimenta hæc capta sunt a *Boyleo*, *Majovio*, *Taboro*, *Halesio*, *Musschenbroekio*, aliisque. Inferunt ex iis, necessario dari debere aliquod vitæ pabulum, quo absumpto extinguuntur. Copia enim aëris post mortem animalium in vase superflues ad respirationem sufficit, adeoque impedita respiratio causa mortis animalium esse non potest. Objecerunt quidem nonnulli, aërem repletum vaporibus assiduo exhalantibus, suam elasticitatem perdere, & proinde respirationi ineptum evadere; sed hanc objectionem sequenti experimento (a) optime solverunt. Imponunt animalia idoneo sustentaculo, recipiens supra aquam ita invertunt, ut aqua ad parvam altitudinem intra illud assurgat. his ita dispositis, quam primum aëris interni elasticitas a vaporibus imminuitur, aqua ab aëre externo pressa, intra recipiens adscendit, & hac ratione elasticitas aëris interni, cum externo semper in æquilibrio manet. eadem tamen apparent in animalibus phænomena: languent, anhelant, convelluntur, moriuntur. cum igitur eadē manento elasticitate aëris, æque ac ante moriantur animalia, nihil

(a) *Majovius l.c. pag. 92. Tabor exercit. Med. Tract. II. cap. IIII.*
p. 174, 174. Halesius Groeyende Weegkunde Exp. CVII.

hil superesse putant, ex quo mors horum animalium explicari potest, præter occultum vitæ pabulum, quo absumpto extinguntur, atque hoc admisso, omnia etiam phænomena facile explicantur. In aëre rariori citius moriuntur animalia, quia minor copia illius pabuli adest, in densiori per majus temporis spatium vivunt, quia major illius pabuli copia vitæ sustentandæ diutius sufficit. Et profecto negare non possumus, mortem animalium in aëre non renovato, ex eorum hypothesi pulchre explicari posse. eorum tamen hypothesise admitti non potest, priusquam certo certius constiterit, nullam aliam causam mortis animalium in aëre non renovato dari, aut dari posse: dari autem aliam nulli dubitamus. nam licet concedamus, aërem, in recipiente super aquam converso, æqualem elasticitatem habere, ac aér externus, ideo nondum est aptus respirationi. præter aëris elasticitatem, requiritur insuper tanta aeris subtilitas atque fluxilitas, ut libere pulmonum cellulas, quarum diameter, juxta observationes Halesii, non major est $\frac{1}{2}$ pollicis, ingredi, easque expandere possit. hæ enim nisi expandantur, nihil commodi aér in pulmones attractus affert, quia per harum cellularum parietes ultimæ arteriolæ & venulæ decurrunt atque anastomosibus junguntur; quapropter, nisi hæ cellulæ extensæ fuerint, nihil vel saltem parva copia sanguinis, ex arteriis pulmonalibus in venas transire poterit; ab exhalationibus autem ex pulmone atque tota corporis superficie adscendentibus, aér in vasis contentus, assiduo densior evadit, suamque fluxilitatem magis magisque amittit; donec tandem maximè vaporum copiæ repletus, minimas pulmonum cellulas ingredi amplius nesciat. Id clarissi-

26 DISQUISITIO PHYSILOGICO MEDICA

me patet ex experimentis ab ipso *Majovio*, atque *Halesio* institutis. ponebat *Majovius* (b) duo animalia sub eodem vase, unum eorum in superiori, alterum in inferiori vasis parte hærebat. hoc, quod inferiorem locum occupabat, per tempus aliquod erat superflues, illo jam extincto. quod procul dubio ideo accidit, quia vapores semper superiora versus tendunt, unde aér, in superiori vasis parte, majori vaporum copia repletus, cunctius aëre inferiore, nimia crassitie, respirationi ineptus redditur. in experimento ab *Halesio* (c) instituto, canis, qui per tubulum ligneum, ejus asperæ arteriæ adaptatum, aërem vesica contentum respirabat, vix per minutum eum aërem respiraverat, quin anhelaret, summaque vi costas movens, ostenderet, quanta difficultate respirationis premeretur, pulsus vacillabat, totum animal languebat: respiratione pressione vesicæ adjutâ, pulsus iterum crescebat, primitusque vires animal recuperabat. sub finem quinque minutorum, quando suffocationis periculum maximum erat, respiratio & pulsus pro lubitu augeri poterant, alterna vesicæ & abdominis pressione, qua ingressus in vesiculos, & egressus aëris ex iis, maxime promovebatur. Sed, imprimis hoc patet ex egregio illo experimento, quod Cap. I. §. III. memoravimus; in eo enim respiratio eo diutius & facilius procedebat, quo salia vapores avidius imbiberent, atque absorberent. Quapropter, si quis ex morte animalium, in aere non renovato, demonstrare velit, dari aliquid occultum vitæ pabulum, oportet eum prius operam dare, ut vapores aliorum determinentur, neque aerein.

(b) *L. 6. p. 110.* (c) *L. 6. p. CXIV.*

aërem inquinent. cæterum enim mors, æque suffocationi ex hisce vaporibus oriundæ, quam absumpto vitæ pabulo adscribi potest. Nec minus ex his explicari potest, quare in aere condensato diutius animalia vitam protrahant, quam in rarefacto; nam in condensato aëre, major vaporum copia solvi potest, quam in aëre rarefacto. interpositione etiam particularum aërearum in aëre densiori impediuntur, ne tam cito se invicem attrahere, atque particulas justo majores, quam ut in minimas pulmonum cellulas ingredi valeant, facere possint.

§. I V.

Neque magis stringit argumentum ab extinctione ignis in vacuo, aut in eodem aëre, vel in aëre non satis renovato desumtum; nam omnes conditiones quæ ad sustentandum ignem necessariæ sunt, non adsunt. Oleum in corporibus saltem ignem alit, aqua, salia, partes terrestres igni alendo prorsus inepta sunt, eumque suffocant; nisi igitur vapores aquosi, mixti cum partibus salinis & terrestribus prompte adscendant atque dissipentur, ignis extinguitur, hinc in vacuo, ubi nulli vapores adscendere possunt, statim suffocatur. Ubi autem aër non renovatur, aut satis liber accessus ad ignem non patet, cito vaporibus, magna copia ex ardentibus corporibus adscendentibus, adeo repletur, ut iis saturatus, plures accipere recuset, unde ratione vaporum eadem iterum nascitur conditio, ac si ignis in vacuo hæreret. deinde quando ignis ardet, datur inter ignem atque aërem mutua actio & reactio, quæ quo fortior fuerit, eo intensius ignis flagrat. hæc autem actio atque re-

E 3

actio.

36 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

actio, cæteris paribus, eo est major, quo aër magis elasticus, uti ex varia intensitate flammæ, pro varia anni tempestate atque cœli constitutione, facile videre est. Hyeme ignis multo vividior quam æstate, cœlo sereno, aëre sicco, frigido & proinde valde elastico, ignis vehementius ardet, suumque pabulum multo celerius consumit. fumus autem & vapores citissime & vehementissime elasticitatem aëris destruunt, uti experimenta *Halesiana* (a) demonstrant, unde imminuta aëris re-actione, ignis dissipatur, ejusque actione magis magis que imminuta, tandem quiescit. neque extinctio flammæ in recipiente, ea ratione, ac præcedenti § diximus, super aquam converso, hanc rationem enervat; quoniam, uti jam diximus, aër tanta vaporum copia saturatur, ut plures accipere non possit. præterea elasticitas aëris, tanta vaporum copia repleti, non adeo prompta atque vivida est, ac aëris puri; (uti discriminem intensitatis soni, cœlo sereno vel nubilo editi, satis docet) unde segnius reagit, dum tamen ignis motus repentinus vividissimam reactionem poscit. Alias causas, suffocationis ignis in vacuo, aut in aëre non satis renovato, non addam, quoniam ex datis hisce perspicitur, ea experimenta nihil pro demonstrando occulto pabulo facere. Atque ex his etiam possumus respondere ad experimentum a Cl. *Nieuwentytio* (b) institutum, ex quo probabilissimum esse voluit, easdem partes flammæ & hominum spiritui inservire. posuerat ille candelam sub vase vitro, cuius orificium superius erat apertum, basis in-

(a) L. c. Exp. ciiii, civ, cvi.
reli Beschouwingen pag. 500. seq.

(b) Regt gebruyk der We-

inferior lagenæ exscissa, inferior vitri margo aqua immersa, tubi incurvi aperti pars per inferiorem vasis partem ingrediebatur, adeo ut aër per hunc tubum inferne posset ingredi, per superius vasis orificium egredi. omnibus sic paratis, candelæ flamma intra viginti duorum minutorum secundorum spatium extinguebatur. Si follis ope, recens aër assiduo in lagenam injiciebatur, flamma læte ardere pergebat. Si vero tubus ori applicabatur, atque aër a pulmonibus receptus inflabatur, candelæ flamma circa decimum minutum secundum suffocabatur. Si aër in os modo intrabat, & simulac ore receptus statim iterum in lagenam inspirabatur, candelæ flamma ardere pergebat, attamen non adeo lucida quam si follis ope aër injiciebatur. Cum igitur flamma, quæ, ubi aër follis, aut ore saltem receptus in lagenam injicitur, flagrare non desinit, intra brevius temporis spatium extinguitur, quam in eadem lagena sibi relicta solet, ubi aërem, quem inspiratione attraximus, in lagenam exspiramus, putat probabilissimum esse, easdem partes, quæ flammæ inserviunt, in pulmonibus amitti, nobis vero id ex iis experimentis neutiquam probabile visum. flamma citius extinguitur, quando respiratum aërem inflamus, quam ubi sibi relinquitur, quia talis aër jam multis vaporibus repletus. ubi vero aër follis aut ore saltem exceptus assiduo injicitur, flamma ardere pergit, quia tum longe major copia aëris non vaporosi ad flamمام defertur, quam sua sponte per tubulum intrare potest, fumus etiam multo melius dissipatur.

40 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

§. V.

Aliud superest argumentum, quod post Cl. *Lowerum* (a) multi proposuerunt. argumentantur illi ex mutatione coloris sanguinis, dum aëris actioni exponitur. Scimus omnes, sanguinem in superiori placenta superficie coccineum colorem acquirere, dum inferior superficies nigerrima est. Si placenta invertatur, inferior superficies, quæ modo nigra erat, coccineo rutilanti colore tingitur. Deinde si sanguis patinâ exceptus, diutina agitatione commoveatur, ut aér, in omnes sanguinis partes, agere possit, totus quantus purpureus evadit. Aér igitur in sanguinem venâ eductum agens, purpureum colorem illi conciliat. Eundem effectum etiam præstat aér, quando agit in sanguinem vasis nostris contentum; nam sanguinis arteriosi color rubicundior est atque lète coccineus, venosi obscurior & magis nigricans. hunc obscurum colorem sanguis in arteria pulmonali adhuc servat, in vena autem pulmonali lète purpureo colore superbit. mutatur igitur sanguinis, dum per pulmones circulatur, color ex obscuro in vividiorum rubrum. Sed hanc mutationem sanguis in pulmonibus non subit, nisi aér respiretur, nam juxta expiramenta Cl. *Loweri*, si animalis aspera arteria, in collo nudata discindatur, & immisso subere arcte defuper ligetur, ne quid aëris in pulmones ingrediatur, sanguis ex arteria cervicali simul discissa effluens, (saltem qui aliquamdiu post præfocatum pulmonem erumpit) totus venosus & atri coloris appetet. contra, si aér in pulmones agat, post mortem etiam animalis, sanguis per

(a) *Treatat. de corde Cap. III.*

per pulmones motus, coccineum colorem contrahit. nam juxta ejusdem viri experimenta in strangulato cane, postquam sensus illum, & vita omnis deferuissent, sanguis adhuc fluidus, e vena cava atque dextro cordis ventriculo per pulmones, propulsus, insufflatis simul nec non perforatis pulmonibus, æque purpureus patinæ excipitur, ac si ex arteria viventis emissus fuisse. patet igitur aërem sanguini & extra & intra corpus nostrum rubicundiorem colorem conciliare. sed uti Cap. i. vidimus, nullus aër per pulmones ad sanguinem nostrum pervenit, rubicundus igitur color non ipsi aëri, sed incognito principio in aëre hærenti adscribi debet. subtilis profecto argumentatio: quæ tamen ex eo multum sui ponderis amittit, quod inter omnes non conveniat, dari tantam differentiam inter sanguinem arteriosum & venosum: dantur enim auctores, qui eam plane negant. Ill. *Hallerus*, (b) qui hac de re ex professo plurima experimenta cepit, teitatur se alias vix observabilem, alias evidentissimam diversitatem reperire, adeoque repetenda esse experimenta. ex quo auctorum dissensu collendum videtur, discriminem sanguinis arteriosi & venosi, non adeo magnum esse, ac nonnulli voluerunt. supponemus ideo nos, dari aliquam differentiam, & sanguinem venosum non quidem plane nigrum, obscurioris tamen rubedinis esse. concedemus etiam experimenta, quæ ex *Lowero* protulimus, verissima esse. nulli tamen dubitamus, quin ex cognitis principiis omnia ista phænomena explicari possint. si variam sanguinis rubedinem investigaverimus, semper deprehendemus, sanguinis colorem co minus obscure

F

ru-

(b) *Prim. linea Physiol.* p. 113.

42 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

rubere, quo crux cum majori copia feri, aliorumque humorum mixtus fuerit. Sanguis recens extravasatus rubet, ubi vero extra vasa haeret, ejusque serum assiduo absorbetur, nigerrimus evadit. ita Cl. Th. Schwencke (*c*) invenit sanguinem, qui decem dierum spatio, sub cranio extravasatus haeserat, nigerrimum, grumi intar concretum. Puerorum sanguis multo majori copia feri scatet, quam senum. sed unanimi auctorum consensu constat, sanguinem in senibus nigrum, in pueris late rubicundum esse. In phtisicis parva portio crux rubri respectu feri datur, eorum etiam sanguinis ruber color longe minus obscurus est, quam hominis fani. si haec ad nostram quæstionem transferantur, perspicitur ratio obscurioris rubedinis sanguinis in venis, quam in arteriis. nam sanguis antequam ex arteriis in venas effunditur, per secretiones atque nutritiones magnam humorum tenuiorum jacturam facit. crux igitur particulæ proprius ad se invicem applicantur, unde sanguis densior atque obscurior evadit. nec objiciat quis, venas lymphaticas suos humores in venas sanguineas effundere, adeoque magnam humorum tenuiorum copiam sanguini restitui. nam isti humores sanguini venoso potius affunduntur, quam cum eo intime miscentur, quia venæ in sanguinem contentum non agunt. perspicitur etiam ex hisce ratio vividioris rubedinis in venis, quam arteriis pulmonalibus, si modo simul attendamus ad actionem aëris in-& exspirati atque arteriæ pulmonalis, quas experitur sanguis, dum per pulmones decurrit: nam sanguis venosus ad cor dextrum redux, simul cum lympha, sero atque chylo, qui ipsi dum per venas decur-

(c) *Hematolog.* p. 100.

currebat, traditi fuere, ex corde dextro projicitur in arteriam pulmonalem, ex qua per venas pulmonales in sinistrum cor transit. hanc viam dum absolvit, ab actione arteriae pulmonalis, atque aëris respirati, premitur, pellitur, movetur, conquassatur, unde chylus, lympha, serum, cum cruento accuratissime miscentur, particulæ cruentis a se invicem dimoventur, hinc sanguis, qui in arteria pulmonali obscure rubebat, cum his humoribus accurate mixtus in venis rutilantiori rubro colore gaudebit. atque haec sanguinis cum illis humoribus in pulmonibus mixtio non tantum ab anteriori intelligitur, sed & a posteriori confirmatur. modo laudatus *Schwenckius* (d), aperiebat cor animalis, aliquot post pastum horis. in corde dextro chylus multus supra sanguinem conspiciebatur, in sinistro intime mixtus erat sanguis cum chylo, & supra sanguinem non ita apparabat. Idem suadent polyposæ concretiones, quæ in ventriculo dextro atque arteria pulmonali fæpissime, in sinistro ventriculo & aorta rarius conspicuntur. Evidens quoque est ratio nigredinis placentæ sanguinis in inferiore, rubedinis in superiori superficie, uti & coloris rubri totius massæ sanguinis, postquam diu fuerit conquassatus, nam inferior cruentis superficies nigra est, quia particulæ cruentis inferiores a superioribus pressæ, arctius cohærent. in superiori superficie globuli ab hac pressione liberi, laxius cohærent. humiditas etiam aeris, hos globulos videtur solvere, & ab invicem separare. si autem sanguis conquassatur donec frigeat, totus

F 2

quan-

(d) L. c, pag. 13.

44 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

quantus rubet, quia tum serum cruorem non dimittit,
sed cum eo accuratissime mixtum manet.

§. V I.

Sic igitur respondimus ad omnia argumenta, quæ ad demonstrandum occultum vitæ pabulum proferuntur. Forsan quis insuper rogabit, cur respiratio tantæ sit necessitatis, si neque aer neque aliud principium vitæ animali admodum necessarium illius beneficio ad sanguinem perveniat? Respondemus, respirationem ideo vitæ animalis admodum necessariam esse, quia crux, qui in venis nonnihil coagulatur, a conquaßatione aëris in animalium pulmonibus, iterum solvit, attenuatur, dividitur. deinde quia, uti præcedenti §. diximus, in pulmonibus fit accuratissima omnium humorum miscela, qua nihil ad vitam nostram magis necessarium obſiciunt in musculis, in aliis etiam nostri corporis partibus, sanguinem attenuari, dividi, misceri. Concedam fieri aliquam attenuationem atque mixtionem sanguinis in iis partibus, sed non talem, qualis fit in pulmonibus: pulmones enim accipiunt sanguinem nonnihil coagulatum, atque cum aliis humoribus non bene mixtum; hunc attenuant, & cum reliquis humoribus accuratissime miscent. reliquæ partes accipiunt sanguinem, jam in pulmonibus attenuatum, & mixtum; ejusque tenuitatem atque mixtionem sua actione potius conservant quam promovent. deinde in reliquis partibus flunt secretiones certorum liquidorum, humores tenuiores a sanguine secedunt, partes etiam a sanguine, quem arteriæ advehunt, nutriuntur. in pulmonibus autem a sanguine arteriæ pulmona-
lis,

lis, nulla secretio fit nisi vaporis, nullus humorum tenuiorum ab eo sanguine secessus. ipsæ partes, a sanguine per arteriam bronchiale allato, nutriuntur. Impedita autem respiratio omnibus animalibus non æque ingens vitæ discrimen adfert. §. II. hujus capitatis vidimus dari insecta, & juniora etiam perfectiorum animalium, quæ in vacuo absque omni omnino respiratione vivunt. In perfectioribus animalibus periculum impeditæ respirationis adeo magnum atque præsens est, quia sanguinis circulatio sistitur, non quia vitæ pabulo privantur. uti colligere licet ex historiis fœtuum per aliquod tempus post mortem matrum in utero superstitem, aut simul cum secundinis exclusorum, in iisque ab omni aëris usu remoti, degentium: ad quas animum attendens, immortalis nominis *G. Harveus* (a) celebratissimum illud problema, quod medicorum animos admodum torsit, proposuit. „ Quomodo embryo post septimum mensim in utero matris perseveret? cum tamen eo tempore exclusus statim respiret; imo vero sine respiratione ne horulam quidem superesse possit; in utero autem manens ultra nonum mensim absque respirationis adminiculo vivus & sanus degat. dicam planius: „ qui fit, ut foetus in lucem editus ac membranis integris opertus, & etiamnum in aqua sua manens per aliquot horas citra suffocationis periculum superstes sit: „ idem tamen secundis exutus, si semel aërem intra pulmones attraxerit, postea ne momentum quidem temporis absque eo durare possit, sed confessim moriatu ”?

F 3

Nulla

(a) *De generat. anim. p. 353.*

46 DISQUISITIO PHYSIOLOGICO MEDICA

Nulla alia vitæ foetuum in utero post mortem matrum, aut in secundinis, productæ videtur esse ratio, quam hæc, quod in foetibus aliæ viæ sint circulationis sanguinis ex corde dextro ad sinistrum, quam per pulmones, unde circulatio sanguinis in iis ab impedita respiratione non sistitur. humores etiam in foetibus tenuiores non adeo coagulantur. errat autem in eo Magnus *Harveus*, quod periculum impeditæ respirationis in foetibus nimis magnum atque præsens posuerit, uti patet ex experimentis *Musschenbroeckii* cum felibus junioribus institutis: eæ enim in spatio vacuo vivebant, ubi ex hypothesi *Harvei* statim interire debuissent.

Atque nunc, ni fallor, constat, nullum argumentum aut experimentum dari, ex quo aëris aut vitalis pabuli per pulmones transitus demonstrari potest concludimus igitur, juxta ea, quæ in principio hujus disquisitionis monuimus, *causas rerum naturalium non plures esse admittendas quam quæ veræ sunt, earumque phænomenis explicandis sufficiunt*: neque aërem neque occultum vitæ pabulum, respirationis ope intra corpus nostrum venire, saltem eorum ingressum nondum demonstratum esse.

Hæc B. L. pro specimine inaugurali sufficient. Si quæ minus exacta & perfecta hic occurrant, nullus dubito, quin facile veniam ab æquitate tua sim impetratus, quippe qui non ostendandæ eruditionis gratia, aut scribendi quadam prurigine incitatus calamum adripui, sed tantum, ut mori Academico obsequerer, hæc conscribere coactus fui.

F I N I S.

THE-

THESES.

I.

Quid sit vita, haetenus incognitum esse puto.

II.

Omnes vero actiones, quæ in corpore nostro exercentur, vitam presupponunt, nullius igitur actionis ideam adæquatam habemus.

III.

Anima earum omnium causa non est.

IV.

Corpus plus valet in animam, quam anima in corpus.

V.

Differentia, quæ inter hominem sapientem & fatuum intercedit, corpori, non animæ videtur adscribenda.

VI.

Cerebrum tantum inservire actionibus animalibus, cerebellum vitalibus, mera est hypothesis.

VII.

In his partibus liquidum aliquod secerni, cuius beneficio sensus & motus peraguntur, satis dubium.

VIII.

Causæ motus alterni cordis & organorum respirationis incognitæ.

I X.

*Quantitas virium cordis, quibus propellit sanguinem,
nondum est determinata.*

X.

*Neque virium vasorum, neque resistentiarum, quas
sanguis dum per vasa fertur patitur.*

X I.

*Quantitas sanguinis in homine dati ponderis nondum
etiam satis cognita.*

X I I.

*Ab his N°. IX. X. XI. tamen sanguinis celeritas de-
pendet.*

X I I I.

Ea igitur definiri non potest.

X I V.

Videtur ea in diversis partibus admodum differre.

X V.

*Quæ celeritatis differentia, ad secretiones diversorum
in diversis partibus liquidorum, forsan multum
confert.*

X V I.

*Omnium humorum qui ex sanguine nostro secernuntur,
elementa in sanguine præexistunt.*

PRÆSTANTISSIMO JUVENUM
P E T R O H I N L Ö P E N

Doctori Medico renunciato.

Est aliquid, Medicas coluisse fidelite rtes,
Et patriæ priscum continuasse decus.
Est aliquid, castæ juvenem placuisse Minervæ,
Pergameumque sibi demeruisse Deum.
Hæc fuit una Tuo sanctissima cura labori;
Perstat & exemplo non simulatus amor.
Auctoris quâ laude nitet victura papyrus,
Et multum ingenii, nec minus artis habet.
Nec flammis Hygiea Tuis (non mollier ulla est)
Defuit, effusas destituitve preces.
Ipsa Tuis dudum conatibus adstitit, omni
Adfuit & blandæ Numine cura Deæ.
Jamque paris dat signa Tibi mansura caloris,
Annuit & Cœa surgere ab arte decus.
Adspicis? en lauro, morbosque fugantibus herbis
Cingere dilectum gestit amica caput!

G

Et

Et mites oleas, & olentia germinâ spargit
Collibus, Ida, Tuis lecta, Epidaure, Tuis.
Quam bene vulgares hæc vincit adorea palmas,
Virtutique refert præmia Diva Tuæ!
Quam bene spondebat, quæ nunc Dea munera reddit,
Munera inexhausto digna labore peti!
Quam bene sperabas, meritæ bene conscius, ambit
Quæ nunc Pœonio laurus honore caput!
Quam bene venturas portendit adorea lauros,
Queisque recens furgas, omina parta dedit!
Incipe par, Juvenis, majoribus esse triumphis,
Inque novæ laudis disce venire decus;
Auspicioque recens Heröibus addite priscis,
Furva Machaoniâ frangere regna manu.
Qualis læta sui mox plaudet Hygeia triumphis
Vindicis, & Medicâ blanda favebit ope!
Dum Febres, Tabesque vorax, Pallorque, rapaxque
Mors fugient celeri, lurida turba, pede.
Felicem! ignava vulgi cui tabe remoto
Mens bona dat puro lumine posse frui!
Quem sua vis, Veroque sacrum mens una, laborque,
Blandaque victuri nominis aura levat!
Quem morbis tot pressa movet fors aspera gentis,
Et tot in obscoenam funera raptæ ratem!

Scili-

Scilicet æternos tulit hâc HARVÆUS honores,
Attigit ardentes BOERHAVIUSQUE domos.
Hâc quoque, quo GÖTTINGA prius, nunc BERNA recepto
Emicat, immensum, Maxime, nomen habes.
Non alio vel calle recens HINLÓPIA surgit
Gloria, nec veteres degeneravit avos.
Mox etiam, quo nunc nova surgit ab auspicio, princeps
Ibit Apollineo conspicienda grege.
Nec minus hæc Vestri notescet fama laboris,
Quam fuerunt Cöi nomina clara senis.
Tunc ego, qui primos lætus nunc grator honores,
Aucta feram titulis parta tropæa novis;
Quasque modo angusto tenuavi pectore, summas
Pectine post laudes nobiliore canam.
Sic eat; & nostræ nuper fax clara juventæ,
Exemplum Batavæ posteritatis erit.

J. A. HELVETIUS.

JCTUS.

DOCTISSIMO ATQUE AMICISSIMO

VIRO-JUVENI

P E T R O H I N L Ö P E N,

PETRE, Machaoniæ certissima gloria turbæ,
PETRE, decus Medici deliciumque chori.
Accipe, quæ tenui tibi sum modulatus avenâ
Carmina, amicitiæ candida signa meæ.
Quam foret ingratum, si festâ hac luce taceret,
Nec caneret lætis nostra Thalia modis!
Præmia qua referes, Doctissime, digna, sodalis,
Qua Panacea tuum cingit honore caput.
Quam bene sis meritus lauros Academia novit,
Et norunt studii conscia tecta tui.
Solis ad occasum flagrasti solis ab ortu
Noscere, quæ profunt Pharmaca, quæque nocent;
Quid Malva, aut Cichorea, quid albo flore Papaver,
Quidve Hederae valeant, quid Melilotus agat;
Quos Rosa, quos Violæ, quos pellant Lilia morbos;
Menthaque quas vires Marrubiumque ferat.
Humani fabricam didicisti corporis omnem,
Quid faciant notum singula membra tibi est.

Hinc

Hinc tibi clarescunt certissima signa malorum;
Et causæ & fines, quæque medela juvet.
Ipsa Hygiea tuos nuper mirata labores
Mellifluo tales fudit ab ore sonos:
O Juvenis penitus nostris infixe medullis,
O superans multos sedulitate viros!
Seu roseas ornata comas Aurora veniret,
Seu sol Hesperias nocte subiret aquas;
Te vidi intentum studiis, te scripta Medentum
Non delassatâ volvere docta manu.
Obstupui & dixi: Nostro hic est dignus amore,
Hunc ego continuo Diva favore sequar.
Passibus ad summos tendens felicibus ausus
HINLÓPI Batavo dos adamanda solo.
Si cupis Arctoas extendere nomen ad oras,
Si cupis Australi notior esse polo.
Fallere si cupias Lachesin Lachesisque forores,
Vivere si semper post tua fata velis:
Perge age, perge artem folers mihi disce sacratam,
Veros cultores non sinit illa mori.
Vivit adhuc certa Podalirius arte medendi.
Et supereſt Cöi nomen honosque senis.
In vitam Libitina tuam nil juris habebit,
HINLÓPI famam postera secla canent.
Hæc Hygiea tibi, tantoque superbit alumno
Quem puerum casto fovit amica sinu.
Infantem quoties teneris complexa lacertis
Basiolis junxit mellea verba suis.
Et quoties dixit: puer hic mea gloria fiet,
Et laudes Medica clarus in arte feret.
Eia igitur calcar, mi PETRE, laboribus addant
Ingenuis tantæ dicta verenda Deæ.

Poeonios isto sub Numine porrige succos,
Quis mala dent celerem cedere jussa fugam.
Nec scopulos timeas, tua quos solertia pellet,
Nam studii quævis ardua vincit amor.
Hac duce tu cunctos poteris cognoscere morbos;
Hac duce cujusvis semina dira mali.
Hac duce tu soboli poteris servare parentes;
Tu natas matri, tu puerosque patri.
Uxori poteris dulcem servare maritum,
Quem cuperent terris eripuisse Deæ.
Sic tibi dum vivet grates vir solvet, & orci
Faucibus erecta conjugæ latus erit.
Hac duce per totum tua laus celebrabitur orbem,
Nomen & adscendet sic super astra tuum.
Auguror hæc vates, eventus dicta probabit,
Augurii fient sic rata verba mei.
Quod super: HINLÓPI, summos tibi grator honores,
Optime, Palladiæ splendida dona scholæ.
Splendida dona quidem, sed multo parta labore,
Præmia, quæ precibus mille petita tuis
PETRE tibi faveat Medicorum præses Apollo
Plurimus ut validæ gaudeat æger ope.
Auspiciis sic vive diu felicibus, a te
Ut veniat multis certa medela malis.
Tu juveni sponsam, geminorum mater amorum,
Elige, & in niveo pectore regnet amor;
Sentiat ut castos dilectæ conjugis ignes,
Ut videat prolem, pignera grata, suam
Phœbe, tibi teneris, pater, hanc sacrabit ab annis
Nobilis & pueros ars Medicina trahet.
Sed fuimus nuper discedere, PETRE, coacti,
Urbs tua jame Mdicum, me pater Ya tenet

Hn.

HINLÓPIQUE alias tu jam migrabis in oras,
OOSLERDYKIADÉ non fruiture tuo.
I quo fata vocant, fatis parere necesse est,
Fortunæ spernunt vincula dura manus.
At si forte tibi sententia perstat eundi,
Mox abeas quorsum, dulcis amice, sciām.
Ut sic multa tuæ veniat mihi littera dextræ,
Ut tibi sic dextræ littera multa meæ.
Ut sic unanimes semper maneamus amici
Nec nubes sanctam deleat ulla fidem.
Numina testati quoties juravimus ambo,
Noster amor nunquam deperiturus erit.
Ut dulcem quondam Pyladen dilexit Orestes
HERMANNUM PETRUS diligit usque suum;
Ut dulcem quondam Pylades dilexit Oresten
HERMANNUS PETRUM diligit usque suum,
Tu modo PETRE fidem promissis adde fidelis
Addam ego promissis optime PETRE fidem.

HERM. GER. OOSTERDYK,

Med. Doct.

JUVENI DOCTISSIMO
PETRO HINLOPEN,

Cum summos in Medicina honores

consequeretur.

Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.

Ovidius.

Te quoque, carminibus non infima gloria nostris,
PETRE, canet lætis nostra Thalia modis
Atque HINLOPENIAS jactabunt carmina laudes,
Sit licet hoc venæ fertilioris opus.

Fulmina nec metuo, quæ tu in mea scripta vibrabis
Livor iners, doctos temnere suete viros,
Ipse pater Phœbus plebejas spernere voces,
Jussit, & Aönii turba novena jugi.

Vos Aganippeæ jam nectite ferta forores,
Serta comas socii cingere digna mei.
Illaque ne livor, nec plurima secula perdant,
Tingas Pegaseo flumine. Phœbe, precor.
Hoc socii virtus Batavas celebrata per oras,
Ingenii dotes hoc meruere viri.

Hoc indefessi PETRI meruere labores,
Queis studuit sacris, ô Panacea, tuis.
Vos comites noctis pellucida sidera testor,
Intentum studiis quæ stupuisti eum.

Vos-

Vosque, suburbani TRAJECTI testor agelli,
Vos sylvæ, Dryadum Capripedumque domus:
Gramina quæ toties vidistis fana legentem,
Queis queat Aesonius vincere fata senex:
Sic salubres etiam legit Pæantius herbas,
Sic carpsit Colchis dira venena manu.
Hoc quoque scripta merent, in quæ nec, zoile, dentes,
Nec quicquam Lethes flumina juris habent.
Quid referam docte dissecta cadavera cultro,
Ut pateat morbi fons & origo Tibi?
Præstita quidve ægris referam solatia multis,
Subduxit Stygio quos Tua dextra Jovi?
Quidve Tuas alias memorem, Doctissime, laudes,
Eois notas Hesperiisque viris?
Rectius abrumpo, ne monstra natantia pascam,
Deve meo faciam nomine nomen aquæ.
Præterea vereor, ne rursus priver amico,
Aemulaque urbs socium tollat ut ante mihi.
Felix, quæ talem nascentem Patria vidit!
Felices talem qui genuere virum!
Ast magis is felix, qui talem semper amicum
Jactitat, hoc melius nil habet aula Jovis.
Jupiter, hoc mihi des, socialia foedera curans,
Sic cadet ante aras hostia multa tuas.
Felix Horna igitur, quæ tantis gaudet alumnis,
Quos HINLOPENII progenuere lares.
His cedit quicquid Grajæ jactantis Athenæ,
Quicquid septeno Roma superba jugo.
Horna, tibi rediit sic famæ splendor a vitæ,
HOGERBEETSIADUM JUNIADUMQUE decus.
Hoc ne despicias unquam par nobile Fratrum,
Quos tibi de cœlo mittere crede Deos.

H

At-

Atque HINLÓPENIUM nomen memorabile nunquam
 Excidat ex animo deprecor, Horna, tuo.
Sic plures ex te doctos dabis, Horna, nepotes,
 Sic plures Medici restituentur ope.
Aethereque excepti, veluti Ledæa propago,
 Incolumes ducent per freta longa rates.
Sed non eventura loquor, quid inania vota
 Proficient? aliter ferrea fata volunt.
Hornaque Præstabit forsan compescere vocem,
 Absint a scriptis aspera quæque meis.
Vos, HINLÓPENII, moveant nil murmura vulgi,
 Quod jussit sacris Phæbus abesse suis.
Pergite felices, famamque extendite factis,
 Barbara ut Arcadiæ monstra silere sciant.
Sic merito Vestrum supplex reverebitur orbis
 Nomen, & æternâ relligione colet.
Ingenio claris post funera fama superstes,
 Præmiaque hæc virtus sola perennis habet.
His lætare diu tu civibus Horna receptis,
 Hos tu Palladii devenerare loco.
Fallor. Et æterno mihi foedere juncte Sodalis,
 Ingratos nunquam, PETRE, revise lares.
Dulcius hic poteris traducere tempora vitæ,
 Mœniaque hæc studiis commodiora Tuis.
Hic sunt Pœoniâ qui præstant arte Medentes,
 Proderit hos forsan consuluisse seni.
Hic Tibi sunt socii, sunt hic Tibi sanguine juncti,
 His credo melius nil dabit Horna Tibi.
Si tamen in patrias mens est proficiencier oras,
 Non moror, i, quorsum Te Tua fata vocant.
Ast seu TRAJECTI sive Hornæ vivere mavis,
 Semper Pirithoi sis maneasque memor!

Me

Me neque, polliceor, quascunque ego mittar in oras,
Thesea tædebit concelebrasse meum.
Pharmaca sic habeant vires! sic plurima cingat
Quercea servato cive corona caput!
Sic eat in thalamos mox æmula virgo Lacænæ,
Sed cui fila Deæ candidiora trahant!
Penelope, quæ dum miseris solatia ferre
Nocte paras, fidam se probat esse Tibi!
Serica sic etiam Lachesis Tibi stamina ducat!
Sarcinaque umbriferæ sera sit umbra rati!
Fallor? an arrisit de summâ Jupiter arce,
Signaque felices fausta dedistis aves?

R. A. VAN BEEM.

H 2

Aan mynen zeer Geachten Broeder

PIETER HINLOPEN,

*toen zyn Ed: tot Doctor in de Geneeskunst
bevorderd wierd.*

U, die op 't moeilyk spoor
Den JONG†, dien groene lauwer sierde;
Met HOOGERBEETS *, den lust van Phebus choor;
En VELIUS, wien al, wat wysheid minde, vierde:
Doorluchting natreed, zints een edler gloed
U door de jeugdige adren zwierde,
Past regt de lauwerhoed.

Gy, die vol edel vuur
Zette in Euclides spoor uw treden;
Het ryk bezaggt der wondere Natuur:
Van scheikunst nimmer moë, noit moede van ontleden,
Van 't nagaan noit der edle kruidery,
Wout uwe schrandre vlyt besteden
Aan heilzame artzeny.

Zo treed gy voor den dag.
Zo durft gy na den lauwer dingen.
Onkunde grint, maar zwygt uit diep onzag:
Vergode Dichtkunst, graag om uwen lof te zingen,
Rekt hare snaar: der ziektens bleeke stoet,
Die gy haar lyders zult ontwringen,
Valt bevende U te voet.

Ik hoore 't handgeklap.
Uw roem, o BROEDER! opgerezen,
Ryst, wat een lastraar blaff', van trap tot trap:
Gy word van minnaars van gelcertheid hoog geprezen.
Uw vaderstad . . . die zwygt, die zwygt! hoe dan?
Dan moet gy eene vreemdling wezen,
En weten nergens van.

N. HINLÖPEN.

(†) Hadrianus Junius. (*) Pieter Hoogerbeets.